



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Lib. VI. cap. 9. & seqq. de Libertate in iis, quæ ad Salutem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

inter necessitatem absolutam seu consequentis vel Physicam, & necessitatem conditionatam seu consequentiæ vel Logicam, huic adscribens species quinque priores, illi autem tantummodò sextam & ultimum, quam ubi ex mente Augustini remouet Bellarminus à libertate vel potius seruitute arbitrii post lapsum ante Conversionem, fatalem videlicet illam necessitatem, & ex primâ Creatione naturalem, quam Manichæi olim propugnârunt, Evangelicos sibi non habet dissentientes, quidquid sit de Sectaribus Calvini, de quibus in antecessum monui, quod non communem in omnibus hic causam agamus cum iisdem, nec iisdem omninò argumentis eodem utamur modo, uti ex diversio Controversiæ statu satis est manifestum.

LIBRI SEXTI CAPVT NONVM & seqq.

DE

Libertate Arbitrii in iis, quæ pertinent ad Salutem,

IN Libro hoc ultimo proponit Quæstionem Bellarminus, *An possint credi Mysteria Fidei sine auxilio speciali?* Ad quam ubi negando respondit contra Pelagium, & qui unquam in affirmativam videbantur pendere, ac pluribus Scripturæ Dictis, testimoniis Patrum, quin & diversis rationibus munivit responsum, respondens insuper ad diversas sex objectiones, alteram subjunxit eidem proximè connexam, *An nimirum possit Voluntas humana aliquid velle in iis, quæ ad Pietatem & Salutem pertinent, sine auxilio gratiæ DEI?* Cui dum itidem negativè respondit contra eosdem, varia iterum Scripturæ Dicta & testimonia Patrum colligens, addens, *hominem quoque solis Naturæ viribus ad Gratiam Dei recipiendam nullo modo se posse preparare, imò, non posse sine auxilio Gratiæ Deum diligere;* hic etiam refutatis ubique adversariorum testimoniis, progreditur tandem ad ultimam de libertate arbitrii Quæstionem, quam sequentibus proponit verbis: *Sine homo post lapsum primi hominis verè liberi arbitrii in iis rebus, quæ pertinent ad Salutem, ut quamvis nihil possit sine auxilio Gratiæ, tamen per Gratiam prævenientem excitatus & à Deo adutus ita valeat operari, ut possit etiam non operari?* Ad hanc Quæstionem, præterquam quod Luthero crassum adscribit errorem ex operationibus in Psalmos, quod passivè hominem se statuit habere in Conversione, Chemnitium quoque cum Calvino accusat, quod errorem Semi-Pelagianorum Cassiani & Fausti Doctoribus Scholasticis adscriperint, Evangelicis, quos iterum Calvini Sectaribus præter meritum jungit, hanc adtribuit Sententiam: *Voluntatem nostram in bonis Pietatis operibus sic agi à Deo, ut non possit non agere, & quamvis ipsa quoque concurrat activè, quoniam ipsa est, quæ actionem producit, tamen concurrere ut merum DEI instrumentum naturale, non ut causam liberam & actûs sui dominam, ex quo colligatur, non propriè dici, voluntatem nostram DEO cooperari vel adjuvari à Deo, quemadmodum non rectè dicitur cooperari calamus manui, vel juvare manum ad scribendum, sed solum agi ac moveri à manu, quamvis re verà ipse pingat literas.* Contra eam post plura S. Scripturæ Dicta è singulis operum Augustini Tomis non pauca in medium producit testimonia, quibus augustissimi Doctoris autoritatem nobis ivit ereptum; quo conatus fructu, docebit Examen. Et primo quidem ex Tomo, ac primo in eodem opere *Retractionum*, sequentia exscripsit verba: *Nisi quisquam mutaverit voluntatem, bonum operari non potest; quod in nostrâ potestate positum esse, alio docet loco Dominus, ubi ait, ut ut facite arborem bonam & fructum ejus bonum &c. quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippè hominis est, mutare voluntatem; sed ea potestas est nulla, nisi detur à Deo, de quo dictum est, Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod, cum volumus, facimus, nihil tam in potestate, quam nostra voluntas est; sed preparatur voluntas à Domino. Eo ergò modo dat potestatem.* Itaque ex Sententia Augustini, quæ Bellarmini crisis est, voluntas preparata per Gratiam prævenientem potestate suâ habet stare vel cadere, Deum sequi vocantem, vel eidem pro arbitrio retraheri. E secundo Tomo ad duas provocat epistolas, quarum prior hæc exhibet verba Libe-

lib. 1. c. 22

Joh. 1.

rum arbitrium non idè tollitur, quia iuvatur, sed idè iuvatur, quia non tollitur. Epist. 89.
 Posterior duo suppeditat testimonia. Unum hoc est: *In iis, qui per Electionem Gra-* Qv. 2.
tia salvi sunt, adiutor Deus operatur & velle & operari. Epist. 106.
 Observa hoc loco, monet Bellarminus, DEum dici adiutorem, etiam dum operatur in nobis velle. Hinc enim sequitur, ut in ipso etiam actu volendi, id est, in ipsa Conversione prima liberi simus. Alterum ita sonat, *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici, comitante non ducente, pedissequa non præviam voluntate.* At, ita scribit Bellarminus, non dicitur comes hominis baculus, quo (rectius, cui) innititur, aut iumentum, quo vehitur, sed alter homo, qui liberè cum illo ambulat, aut cum sequitur præeuntem. E tertio Tomo sequitur liber de *Spiritu & Litera*, è quo hæc adducit: *Consentire voca-* cap. 34.
tioni aut non consentire, propria voluntatis est. Ad hæc verba Chemnitium ita responde-
 dere scribit Bellarminus, Consentire & dissentire propriè adverbialiter, esse voluntatis, sicut dicimus, intelligere proprium esse mentis, velle voluntatis, & hanc postea Sententiam ita esse depravatam, ut dicatur, *consentire in spiritualibus propria voluntatis esse, hoc est, ex propriis viribus.* At, reponit Bellarminus, quis nostrum exponit, propriæ voluntatis, id est, ex propriis viribus? Non hoc dicimus, sed consentire ad voluntatem pertinere docemus, posteaquàm præventa est à Domino, & sic accepit consentiendi potestatem. Deinde, quis dedit Chemnitio facultatem commutandi nomina in adverbia? Nam in omnibus legitur Codicibus, *propria*, non, propriè. Denique, si ve propriæ, si ve propriè legas, quis non videt, tribui hoc loco ipsi voluntati potestatem eligendi inter contraria, id est, liberum arbitrium propriè dictum, si legantur, quæ paulò ante præcedunt? Nam opponit Augustinus consensum voluntatis nostræ Vocationi Divinæ, ac dicit, *Vocationem non esse in nostrâ potestate, sed consensionem esse nostræ voluntatis*; ubi ipsa cogit antithesis, ut intelligamus, consensum esse in potestate voluntatis nostræ. Attendant, inquit, & videat, non idè tantum voluntatem istam (videlicet credendi) *Muneri Divino tribuendam, quia ex libero est arbitrio*, (Nota, Chemniti, scribit hic intra parenthesin Bellarminus, voluntatem credendi ex libero esse arbitrio,) quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam, quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus & ut credamus, si ve extrinsecus per Exhortationes Evangelicas, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad Gratiâ justificantem credendo confugiat, si ve intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire, propria voluntatis est. Bellarminus subiungit, Quid, Chemniti, illa particula adverbialiter Sed facit? Nonne indicat, neminem habere in potestate, quid ei veniat in mentem, dum per Gratiâ prævenientem præparatur Voluntas à Domino; tamen post eam præparationem habere plane in potestate, ut consentiat, vel dissentiat? Ad objectionem, quod Augustinus hunc locum retractaverit in libro de *Prædestinatione Sanctorum*, ubi tateatur, in suis libris contineri illorum errorem, qui docent, prædicationi Evangelicæ nostrum esse proprium consentire; ita respondet Bellarminus, In eo libro loqui Augustinum de iis, qui docent, prædicationi Evangelicæ nostrum esse proprium consentire ex solis Naturæ viribus sine ulla præveniente Gratia, quem errorem continent libri Augustini, ut Ipse ibidem testatur, ante suum Episcopatum scripti, hic autem liber de *Spiritu & Litera* scriptus fuit ab Augustino jam Episcopo & post Pelagianam hæresin exortam. E quarto sequitur Tomo opus ad *Simplicianum*, unde sequens testimonium producit Bellarminus: *Vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo.* Bellarminus addit, Quid apertius dici potuit? E quinto succedit opus de *Civitate DEI*, quod de hoc negotio ita pronuntiat: *Si necessitas nostrâ illa est dicenda, quæ non est in nostrâ potestate, manifestum est, voluntates nostras, quibus rectè vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quæ si nollemus, utiq; non faceremus, quò primitus pertinet ipsum velle. Nam si volumus, est; si nolumus, non est.* E sexto accedit opus *Aetorum contra Felicem Manicheum*, ubi hæc leguntur: *lib. II. c. 4.*
Cum dicit Dominus, aut hoc facite, aut illud, potestatem indicat, non naturam; nemo enim nisi Deus facere potest arbores. Sed habet unusquisq; in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala. E septimo varia inservire coguntur opera, è quibus arma contra Evangelicos colligit Bellarminus. Et quidem opus de peccatorum meritis & Remissione ita sentit: *Conversos DEVS adjuvat, aversos deserit; sed etiam, ut convertamur, Ipse adjuvat.* Nota, inquit Bellarminus, in ipsâ etiam conversione nos adjuvari, ac per etiam tunc liberum habere arbitriū, lib. II. c. 5.

- contra Chemnitium, qui Gratiā adjuvantem non agnoscit, nisi in Operibus, quæ fiunt post Justificationem. Et infra, *Non idè de hæc solus votis est agendum, ut non subinferatur ad bene vivendum nostræ voluntatis efficacia; adjutor enim DEus dicitur, nec*
- cap. 18. *adjuvari potest, nisi qui spontè aliquid conatur.* Et iterum: *Quod ad DEum nos con-*
- cap. 32. *vertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus.* Liber de Natura & Gratiā agens de Justificatione ita pronuntiat, ubi quidem operamur & nos, sed illo operante cooperamur, quia Misericordiā Ejus prævenit nos. Liber de Prædestinatione Sancto- rum hæc habet: *Vtrumque nostrum est, (velle scilicet credere & amare,) propter arbi-*
- c. 3. & 5. *trium voluntatis; & utrumque datum est per Spiritum Fidei & Charitatis.* Et ibidem, *Non quia credere vel non credere non est in arbitrio Voluntatis, sed in electis præparatur*
- Voluntas à Domino. Hic certè videmus, scribit hic Bellarminus, quam longè ab- errent à vero, qui sentiunt, in hoc libro retractatum esse, quod scriptum fuerat in libro de Spiritu & Litera, consentire & dissentire, propriæ voluntatis esse, An- non apertius est credere & non credere, & non esse in arbitrio voluntatis, quam consentire & non consentire esse propriæ voluntatis? Liber de Gratiā & libero arbi-
- cap. 15. *trio ad Institutum præsens ita habet, Ne pueretur, nihil facere homines per liberum ar-*
- bitrium, idè dicitur in Psalmo, Nolite obdurare corda vestra. Et per Ezechielum, Projicite à vobis omnes impietates vestras. Bellarminus hoc subnectit, Vides in ipsa Conversione prima locum habere liberum arbitrium. Liber de Gratiā Christi
- c. 14. hoc confert, *Quis non videat, venire quæquam aut non venire voluntatis arbitrio? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest esse, nisi adjutum, si venit.* Et hic habes Gratiā adjuvantem ad Initium Fidei, scribit Bellarminus.
- lib II. c. 8. Opus tandem contra duas Pelagianorum Epistolas hæc adjicit: *Homo præparat cor, non tamen sine adjutorio DEI, qui tangit cor.* Et infra, *Quamvis nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus adjutorio illius & opere nostro.* Nam, quid est præparare cor & os aperire, nisi voluntatem præparare? Bellarminus pro more hanc subjicit Glossam, *Quid manifestius desideret Calvinus*
- in Pl. 71. *Chemnitiusque, omninò non video. E Tomo octavo Commentarius in Psalmos hanc confert Symbolam: Non erat in potestate tuâ, ut non nascereris ex Adamo; est in pote-*
- state tuâ, ut credas in Christum. E nono Commentarius in Johannem hoc addit, *Credenti in Eum, qui justificat impium, deputatur Fides ejus ad Justitiam. In hoc opere facimus opera Christi, quia & ipsum credere in Christum est opus Christi. Hoc operatur in nobis, non tamen sine nobis.* Et infra: *Operanti in se Christo cooperatur homo salutem æternam ac Justificationem suam.* Cooperamur DEO igitur, scribit Bel-
- tract. 72. *larminius, non solum post Justificationem, ut advertarii volunt, sed in ipsâ etiam Ju-*
- stificatione & initio Fidei. E Tomo denique decimo Sermones de Verbis Apostoli huic Tractationi colophonem imponunt, ac antecedentia Augustini testimonia se-
- Serm. 15. *quentibus obsignant: Videtis quia nec ipsa Conversio est sine adjutorio DEI. Et contra, Totum ex DEO, non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Sine voluntate tuâ non erit in te Justitia DEI. Qui fecit te, sine te, non te justificat sine te.* Atque sic per decem Tomos ex Augustino conquiritur testimonia Bellarminus, utin hæc Quæstione Eum nobis faciat adversarium, æque suis stare par-

tibus testetur.

Nunc quia non nescivit, Evangelicos ad suæ Sententiæ confirmationem provocare ad auctoritatem Scripturæ Sacræ, idè laboravit Oracula exindè desumpta ex auctoritate Augustini partim infirmare ac infringere. Et primum quidem desumitur ex Ezechiele, ubi hæc promissio DEI legitur, *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum; Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in Præceptis meis ambuletis.* Ad hoc dictum observare scribit Bellarminus Evangelicos, malam hominis voluntatem idè nominari *cor lapideum*, quoniam sicut in lapide nulla est cooperatio, si debet verti in Carnem, sic etiam nulla est cooperatio voluntatis humanæ in mutatione suâ de malâ in bonam; & idè non dixisse DEum, *faciam ut in Præceptis meis ambulare possitis, sed, faciam ut ambuletis.* Qui enim cor carneum habent, illi soli ambulant in præceptis; qui habent lapideum, non ambulant. Respondet, liberum arbitrium non est cor lapideum, neque carneum, sed *vis quedam mediâ & naturalis*, quæ formam lapidis, id est, peccati duritiem, & formam carnis, id est, Gratiæ teneritudinem recipere potest. Sic loquitur Augustinus in libro de Spiritu & Litera, ubi dicit, *liberum arbitrium naturaliter adtributum creaturæ Rationali esse vim illam mediâ, quæ*

intendi ad Fidem & inclinari ad Infidelitatem potest. Et in Opere de peccatorum meritis & remissione inquit, *Voluntatis arbitrium huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus Bonis est, quibus & malè uti malus potest.* Hæc autem vis media & naturalis addit Bellarminus, quando per Peccatum talis est, ut dicatur cor lapideum, non ex se habet potestatem, quâ se convertat ad DEUM & fiat carneum, sed eam recipit per Gratiam DEI prævenientem; liberum enim arbitrium per Gratiam prævenientem excitatum & præparatum potest per vires, quas à DEO recipit, cooperari ad suam ipsius Conversionem. *Tertium est ex Psalterio, ubi hæc leguntur verba, Ipse fecit nos, & non, ipsi nos.* Videtur, ita Bellarminus scribit ex Evangelicorum mente, Propheta loqui de Regeneratione potius, quàm de primâ creatione, cum paulò post subjungat, *Populus Ejus & Oves pascuæ Ejus.* Sed respondet, Ad Literam David loquitur de prima creatione, ut ipse etiam Augustinus exponit in Commentario, quod Beneficium non minus pertinet ad Sanctos, quàm ad impios; & ideo Propheta Sanctos hortatur, ut pro hoc Beneficio gratias agant, dicens, *Introite portas Ejus in Confessione &c.* Sed & illud præterea libenter agnoscimus, de Justificatione dici posse, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* DEUS enim est, qui justificat & regenerat in Spem vivam, & nos Ejus factura sumus, *creati in Christo Jesu in operibus bonis,* ut Scripturæ loquuntur. Caterùm sicut respiciendo terminum Justificationis, id est, habitum Charitatis infusum, *Ipse facit nos, & non ipsi nos,* quoniam solus Ipse habitum Charitatis infundit; ita respiciendo dispositionem ad Justificationem ipsi nos DEO adjuvante facimus, quod expressit Ezechiel, cum ait, *Ipse animam suam vivificabit.* Ad cetera dum nihil ex Augustino occurrit, hic ex Instituto præmittuntur. Circa octavum provocat quidem ad Augustinum, quia illud verò ex mente *Calvini* profert, non Evangelicorum, qui ab illo hic omninò dissentiant, itidem non attenditur.

Super autem sunt ex Augustino loca quædam satis clara, mentem Evangelicorum exprimentia, quæ dum Bellarminus obfuscare nititur, laborandum est, ut hic etiam consensus maneat inconcussus. Ea sunt, quæ sequuntur eo ordine, quo Bellarminus adduxit. *Primum est ex Opere de peccatorum meritis & remissione, quod sic habet: Laborant homines invenire in nostrâ potestate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex DEO; & quomodo inveniri possit, ignoro.* Respondet Bellarminus, Augustinum loqui adversus eos, qui docebant, hominem habere ex se, id est, sine ulla præveniente Gratia initium Fidei aut dilectionis DEI, id est, piam aliquam voluntatem; & rectissimè docere, nihil omninò boni esse in voluntate nostra, quod nobis non sit ex DEO. Sed nihil id facere contra liberum arbitrium existimat. Tametsi enim, inquit, non possit liberum arbitrium ex se solo cooperari DEO, potest tamen ex Dono Gratiæ prævenientis. *Secundum ex libro de Gratia CHRISTI hoc est: Arbitrium sic adjuvatur, ut non solum, quid faciendum sit, sciat, sed, quod scierit, etiam faciat.* Ac per hoc, quando DEUS docet, non per Legis literam, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut, quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo adpetat, agendoque perficiat. Bellarminus respondet, Nihil hoc loco dicitur contra Sententiam nostram, siquidem omnia ista libentissimè confitemur, & ex iis liberum comprobamus arbitrium. Si enim adjuvatur arbitrium tum in cognoscendo & sciendo, tum in volendo & agendo, adest certè, & manet, & operatur; non enim adjuvatur, quod non est, aut non operatur. *Tertium est ex libro de Bono Perseverantiæ, Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum DEO.* Respondet, & hoc quoque nihil facit ad rem. Nos enim non ponimus in homine initium bonæ Voluntatis ex libero arbitrio, & perfectionem ex DEO; neque partimur opera cum DEO, & priores partes accipimus nobis, posteriores damus DEO, ut faciebant illi, quos in eo & præcedente libro Augustinus reprehendit, sed damus totum DEO, nobis autem nihil omninò, quod non sit ex DEO. *Quartum est ex libro de Correctione & Gratia, quod tamen, quia Calvini Sectatoribus magis, quàm Evangelicis favere videtur, tanquam huc impertinens aliò reservatur.* Sequitur hinc quintum ex libro de Gratia & libero arbitrio: *Vi velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut operemur, nobiscum cooperatur.* Hic triumphant adversarii, inquit Bellarminus,

quasi deprehenderit nos in errore manifesto, quod dicamus, nos cooperari DEO in ipsâ Conversione primâ, & ad actum volendi non solum excitari, sed etiam adjuvari; cum Augustinus dicat perspicue, ut velimus, DEUM operari sine nobis, & proinde hoc nos non juvari, sed simpliciter hoc à DEO in nobis fieri. Nec alia desunt loca, scribit porro Bellarminus, quæ pro adversariis videntur facere, ut illud ex Enchiridio: *Totum DEO dandum est, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam & adjuvat præparatam; præcedit enim bona hominis voluntas multa DEI dona, sed non omnia, quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.* Respondet autem, Hoc argumentum vehementer nos terere potuisset, si obliti essemus, quam frequenter supra dicentem Augustinum audiverimus, quod cum nos ad DEUM convertemus, nisi ipso excitante & adjuvante non possumus. Et, *velle suum esse voluit & nostrum &c.* Et, *in opere credendi, cum incipimus velle credere, nos operari Christi opera, & cooperari DEO &c.* Postquam verò Lectorem remisit ad ea Augustini loca, quæ ex singulis Operum Ejus Tomis collegit, indicans etiam, se totum hoc argumentum solvisse primi de Gratia & Libero Arbitrio libri capite quarto & decimo, summam Solutionis hanc adponit, DEUM operari in nobis sine nobis, ut velimus, uno quodam genere causæ, nimirum moralis, non autem omni genere causæ. Nam efficit in nobis DEUS, ut velimus, internâ inspiratione & suasionem, quo modo nos non operamur, ut velimus, non enim nos ipsi nobis persuademus; si enim id faceremus, jam vellemus. Sed quamvis DEUS sine nostro conatu prævio nos moveat ad volendum, non tamen efficit ipsum velle sine nobis cooperantibus consentiendo. Et ideo non ait Augustinus, velle facit sine nobis, sed, *ut velimus, facit sine nobis.* Eodem modo voluntatem bonam præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam, quia illo genere causæ, quæ facit, ut velimus, sine nobis facientibus, ut velimus, præparat voluntatem nobis non præparantibus eandem simili excitatione & suasionem, & ideo in hac re non juvamus, cum sine nobis fiat; sed tamen alio genere causæ nos præparamus voluntatem adjuvante DEO, cum Vocationi Divinæ consentimus. *Homo, inquit Augustinus in opere ad Bonifacium, præparat cor, non tamen sine adjutorio DEI, qui tangit cor.* Quid si nunc ostendamus, ita pergit Bellarminus, hunc locum, de quo tantopere triumphare videntur adversarii, adversus ipsos pugnare gravissimè? Nam Augustinus postquam dixerat, *ut velimus, sine nobis operatur,* subjunxit, *Cum autem volumus, & sic volumus, ut operemur, nobiscum cooperatur.* Quæro ab adversariis, quid sit, *nobiscum cooperatur?* Nam si nobiscum DEUS cooperatur, certè & nos operamur. Non autem dicimur operari, DEOque cooperari, quia producimus actum illum, ut instrumenta naturalia ab alio mota, quoniam hoc modo operamur etiam velle ipsum, *Calvino & Chemnitio* testibus, cum tamen ipsi idem negent, nos cooperari DEO in actu volendi. Igitur fateri debent ex Augustini mente, nos operari opera externa, & in eis cooperari DEO, non tantum producendo actum, sed etiam liberè producendo, ut verè dicamur cooperari DEO, & ab Illo adjuvari. At non potest intelligi, quemadmodum sit libera actio externa, si non fuit libera electio sive voluntas interna; actiones enim externæ non habent libertatem, nisi in causâ suâ, necessariò enim sequuntur electionem voluntatis & imperium rationis. Non dat liberè Eleemosynam, nisi qui liberè voluit dare; nec liberè orat aut jejunat, nisi qui liberè elegit orare & jejunare. Quare ex eo, quod admittere coguntur, nos liberè operari Opera Pietatis externa, coguntur etiam velint nolint admittere liberum arbitrium in ipso actu voluntatis interno. Tandem adfert testimonium ex libro iterum de *Corruptione & Gratia*, quod verò dum itidem ad mentem *Calvini* respicit à nostrâ procul remotam, cum aliis huic similibus hac quidem vice remittitur ei, qui eodem est usus, vel potius ejusdem hyperaspistis suo tempore & loco vindicandum.

Atque sic hætenus prolixissimè de Libero Arbitrio Bellarminus contra Evangelicos ex Augustino disputavit, in eum quidem, uti videtur, finem, ut reatum Pelagianismi, vel ad minimum Semipelagianismi, (quem Scholastici non parè in Ecclesiam suis Subtilitatibus non rarè crassissimis reintroduserunt, ac *Lutherus* primum DEI Gratia adfulgente in exilium mittere conatus est, *Iansenio* his temporibus itidem non nihil operæ ad id conferente, quamvis cum aliquâ ad alterum extremum

c. 32.

Lib. II.
cap. 8.

rum inclinatione, quod suprâ notatum) à Tridentinâ Synodi adleclis removeat, ex alterâ verò parte Evangelicis *Manicheisum* non sine gravi injuria impingat; in quo tamen utroque conatu quàm frustraneus fuerit, ex hæcenus dictis fatis apertè constat, constabitque ex eo, quod adhuc breviter expediendum restat. Quod antequàm adgrediar, lubet ex tredecim Sententiis, quibus in compendio integram de toto hoc argumento Disputationem exhibet, primam loco Speciminis adponere, ex quo quid de cæteris statuendum sit, facilis erit conjectura. Ea sic proponitur: *Homo ante omnem Gratiâ habet liberum arbitrium, non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad Opera Pietatis & Supernaturalia.* Ita docere scribit Augustinum in libro de Spiritu & Litera, ubi dicit, *Liberum arbitrium esse vim mediam & naturalem, quæ ad Fidem & infidelitatem potest inclinari,* Tappero & Driedone insuper in subditi-um advocatis.

Nostri nunc Muneris est, hæc omnia Examini subicere, & Orthodoxam Veritatem ad Augustini mentem defendere. In genere autem hic quoque debet observari, Bellarminum disputare quidem videri contra Pelagium & Ejus Sectatores, multa tamen hic & ibi immiscere, quæ ex Ejus fonte per rivulos Scholasticorum impurissimos profluxerunt, undè Pelagianismi reliquæ in Papatu post Concilium quoque Tridentinum non parca à diligentibus harum rerum observatoribus colliguntur. Verùm quia hoc ex professo jam non agitur, ad ea progrediendum est, quæ Scopum hic propositum feriunt aliquantò propius. Et quidem Lutheri Sententiam, quam Bellarminus *crassum* vocat errorem, ex Libro *Concordiæ* supra vidimus explicatam, cum Augustini videlicet mente, ad cujus consentum provocat et-
Hut.
Loc.
Theol.
p. 283.
iam liber hic Symbolicus, ex asse congruam, ut repetita non opus sit Apologia. Circa ipsum Controversiæ statum hoc iudem non prætermittendum, quod Bellarminus in ejus formatione utatur terminis non ab omni ambiguitate liberis, dum in-
p. 283.
munit *auxilii Gratiæ* homini post lapsum (ante Conversionem, de quo statu hic est) necessarii, *Gratiæ item prævenientis & excitantis*, quos tamen terminos non nescivit diverso sumi significatu, obque id ipsum prius debuit evolvere, antequam eos adhiberet, nisi in turbido piscari maluisset, & Lectorem perpetuis involvere dubiis, ac semetipsum, quod sæpius jam est ob oculos positum, contradictionibus, Disputatorem Veritatis studiolum minime decentibus. De cætero, *Chemitium* non sine gravi causâ errorem Semipelagianorum *Cassiani & Fausti* Doctoribus Scholasticis adscriptis, Bellarminus sinecivit, qui tamen videtur id tantùm dissimulasse, potuit ex eodem adducere *Chemitio*, qui in Locis Communibus, quos publicam lucem pluribus ante Bellarmini obitum annis adspexisse certum est, ubi hanc Quæstionem historicè pro more solito solidè tractat, ostendit, quomodo *Benedictus* Sæculo post CHRISTUM sexto Monachis præscripserit regulam, in fine eos remittens ad inspiciendam, prælegendam & tenendam *Cassiani* doctrinam in collationibus Patrum, ubi extet Sententia de Libero Arbitrio, rectè damnata à *Prospero*. Addit, *Lombardum* post *Bernhardum* non pessimè quidem tractasse hunc de libero arbitrio locum, sed tamen miscuisse Seminaria quædam illarum Disputationum, quæ postea Papatûs tenebris invalescentibus sint secutæ; *Dominicum* quoque *Cassiani* doctrinam canonisasse, & ex his latibus Monachos sæculo post tertium decimo progressos in Scholas, cœpisse cathedras docentium occupare, adpellatos tunc *Sententionarios*, qui formam Doctrinæ, sicut in libris Sententiarum à *Lombardo* fuerat constituta, sumierint explicandam, quorum primus & vetustissimus fuerit *Alexander Halesius*. Hos, quia ex ludo Francisci & Dominici, ubi regnabat *Cassianus*, prodierint, in hoc loco de libero arbitrio non tantùm discessisse à *Lombardo*, sed multa disertè contra Ejus Sententiam disputasse. Porro, intra spatium centum annorum non semper unam & eandem Sententiam de hoc loco inter *Sententionarios* fuisse, sed semper in deterius lapsum esse formam Doctrinæ. Profert etiam *Bonaventuræ*, *Scoti*, *Thomæ*, *Occami*, & ex recentiorum numero *Roffensis* errores, hæc adjunctâ observatione, modernos, & præsertim Jesuitas mitius loqui, & subtilius pingere errores suos, & tamen ipsos interim nervos retinere; cujus rei, si quisquam, certè Bellarminus egregium edidit Specimen, prout Examen sequens docebit uberius. Neque hoc tantum, sed ut eò facilis lateret error, cui semper in Ecclesia, quamvis non tem-

per eadem libertate & puritate, à Veritatis Evangelicæ studiosis fuisse contradicendum, *Chemnitius* ibidem monuit; orthodoxam quoque Sententiam, quam *Augustana Confessio* satis clarè expressit, ita ut plerique, qui eam sumserunt refutandam, suo adprobare calculo fuerint coacti, non unâ ratione obtenebravit, *Calvini* miscens errores, quibuscum Evangelici, quod hætenus non semel dictum, in hoc Capite, nihil omninò habent commune. Nullibi certè docuit *Confessio Augustana*, Voluntatem nostram in bonis operibus Pietatis sic agi à DEO, ut non possit non agere, quod tamen Evangelicos cum *Calvini* Sectatoribus communiter docere, scribit *Bellarminus*, cum supra in tractatione de Gratia irresistibili aliud fuerit ostensum. Neque agnoscunt Evangelici suum id esse, quod ipsorum nomine scribit, quasi voluntatem statuunt concurrere in Operibus Pietatis ut merum DEI instrumentum naturale, non ut causam liberam & actus sui dominam; distinguentes nimirum, quod sapius in hac tractatione est inculcatum, inter statum hominis & humanæ voluntatis ante Conversionem, vel in ipso etiam Conversionis actu, & statum ejus post Conversionem; ibi quidem hominis voluntatem non instar alicujus instrumenti considerando, sed tanquam Subjectum, in quod agit & operatur Spiritus Sanctus, hic autem ut instrumentum, sed non naturale, verum morale, quod suasionibus in Verbo DEI propositis agitur & movetur, non rarò etiam, quod Experientia testatur, propter arbitrii à servitute per gratiam liberati abulum in contrarium planè agitur & avertitur. Hinc impertinentissimè *Bellarminus* nobis adscribit Simile de calamo scribentis, quod omninò præter nostram est mentem, prout ab Ipso explicatur & applicatur, et si fortè non desit ratio & modus, per quem possit ad liquidum Veritatis deduci, *Pancis*, utur omnem Voluntati humanæ in actu convertendi abnegamus cooperationem activam, totum illud opus non cum, sed in Voluntate nostrâ Gratia DEI in solidum adscribentes, post tamen Conversionis actum, quin Voluntas Gratia cooperetur, quamvis non ex viribus à lapsu adhuc residuis & per Gratiam excitatis, tantum, sed noviter iterum concessis, non imus Evangelici inficias.

Atque sic remotis à Sententia Evangelicorum absurditatibus, quibus eam Lectori minus perito & cauto facere laboravit suspectam *Bellarminus*, patebit proximè, cum Larvis Eum pugnare, ubi tam numeroso ex omnibus Operum Augustini Tomis adparatu & conscripto quasi contra Evangelicos exercitu progressus est in aciem apertam. Videlicet, omnia & singula Sancti Doctoris testimonia ad eò non adversantur Evangelicorum Sententiæ, ut potius ritè perspecto eorundem Sensus ad nostra pertinere videantur caltra. Id ne frustra dictum vel scriptum sit, percurramus breviter hos ordines, & lustratione factâ manifestum erit, eos à nostris stare partibus & pro nobis militare. Primus certè Tomus ex Opere *Retractationum* duplex fuit Oraculum ex Ore CHRISTI prolatum, sed neutrum nobis contrarium. De priori actum est ad Controversiam antecedentem, posterius utur satis planè explicetur in loco, ut non indigeat luce mutuatitia, alibi tamen per collationem aliorum CHRISTI verborum adhuc planius & ad Institutum præsens perspicuè magis ab eodem Patre augustissimo illustratur, hunc in modum scribente: *Datur potestas, ut filii DEI fiant, qui credunt in Eum, cum hoc ipsum datur, ut credant in Eum; qua potestas nisi datur à DEO, nulla esse potest ex libero arbitrio, (Nota benè, Cardinalis) quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit, sed in malo liberum habet arbitrium, (Ecce, ipsissimam Evangelicorum Sententiam,) cui delectationem malitiae vel occulius vel manifestus deceptor inseruit, vel ipse sibi persuasit.* Hoc testimonium *Bellarmino* tanto gratius esse debuit & acceptius, quia ex eodem Opere, ex quo de sumtum est, post, ubi ex septimo Operum Augustini Tomo arma contra nos produxit, aliqua protulit verba, quamvis & illa nobis non contraria. Accedit, quod diligentissimus noster *Gerhardus* in *Confessione Catholicâ* nunquam satis laudatâ, & quam nullus Antagonistarum hætenus adgredi est ausus, observavit, *Salmeronem, Tansenium Gandavensem, Cæjetanum, Toletum, Estium, Tirinum, Pererium* quoque & *Johannem Ferrum* aliter planè hæc CHRISTI verba, & in specie vocabulum *potestas* intelligere, ita ut non tam potestatem, quam Dignitatem & Excellentiam significet, adeòque ad hanc de libero arbitrio Quæstionem planè non pertineat; quibus alii recentiores nunc possent addi, si id videretur huic Instituto necessarium. Ut adeò cadat

Lib. 1.
contra
duas
Pelag.
Epist.
cap. 3.

Bel.

Bellarminiana crisis, quam huic primo Augustini testimonio subjunxit, & quâ maximum se Evangelicis primo quasi ictu & confictu damnum intulisse putavit. *Secundus* nunc procedit Tomus, è diversis duabus Epistolis arma sistens, non in Papistarum Pelagianantium officinâ, sed Evangelicorum potius fabrefacta, quod ostendunt verba, quæ citatis à Bellarmino ex Epistolâ priorè sequuntur immediatè: *Qui DEO dicit, Adjutor meus esto, confitetur, se velle implere, quod jussit, sed ab Eo, qui jussit, adjutorium poscere, ut possit.* Undè patet, Augustino sermonem esse de libero regenitorum arbitrio, nisi Davidem in numero irrogenitorum fuisse, statuendum sit. Idem dici debet de Sententiâ ex Epistolâ posteriori, cui itidem proximè subjungit Augustinus ea Apostoli verba, quibus priora illustrantur, & docetur, *quod diligentibus DEUM omnia cooperentur in bonum*, quæ omninò ad statum verè fidelium debent referri, de quo hic non disputatur; sicut quæ idem Apostolus citante ibidem Augustino scripsit, *DEUM operari & velle & operari*, non ad infideles scripsit, sed qui jam ad Christum erant conversi, quod nemo vocat in dubium. Atque hoc etiam locum habet, si cætera quoque respiciamus verba, quæ Bellarminus ex eadem protulit Epistola, non nisi ad eundem referenda statum; Bellarmino autem à baculo ad angulum brutaliter argumentante, ubi comparatione de *baculo & jumento* Evangelicos ad absurdum deducere conatus est, rem non nisi ex Lumine supernaturali cognoscendam & Mysterium ex solâ Revelatione altiori adprehendendam per Similia planè dissimilia explicare studens, aut potius obscurans magis. Tertius sequitur Tomus, librum de Spiritu & Literâ post non unas hæctenus adlegationes iteratè commendans, in cujus Sensu legitimo ulterius indagando *Chemnitius* noster omninò vindicandus est à gravissimâ adulatione, quam contra Ipsum instituit Bellarminus tanquam Textus Augustiniani perverforem. Verba quæ ibidem iteratò exhibentur, prout Bellarminus citavit, hæc sunt: *Consentire Vocationi Divinæ, vel non consentire, propriae Voluntatis est.* Chemnitius, quia eadem verba eodem modo legit antehæc ab aliis Arbitrii liberi defensoribus Pelagianis inter Scriptores Papæos citari, existimavit, ea esse depravata, ac pro nomine adjectivo *proprie* legendum adverbialiter *proprie*. Mea quidem Editio, quâ nunc utor, *Basileæ* Anno Seculi præteriti vigesimo & octavo per *Erasmum*, Liberi Arbitrii adsertorem strenuum, curata, utrobique habet adjectivum *proprie*; sed valdè dubito, an omnes in hæc Lectione consentiant Editiones, & si consentiant, an Augustini primam scriptionem & mentem propriam expriment accuratè, dum observatio *Chemnitii* non sine fundamento sufficienti videatur esse, ac omninò requirere, ut Sententiâ hæc per *adverbialem* particulam ritè explicetur. Certè, si quæ in loco, undè desumptum est hoc Testimonium, antecedunt & sequuntur, adque integrum pertinent contextum, prout deest interpretem verborum, attendantur, vix aliter Augustinus scripsisse videtur, quàm *adverbiali* Sensu, quidquid sit de Codicibus vel editis, vel etiam *Manuscriptis*, cum hoc in passu omnium tutissimè ad ipsam Authoris mentem respiciatur, neque nobis esse liceat tam beatis, aut sperandum sit, ut librum hunc ipsius Augustini manuscriptum, de quo dubium est, an ullibi extet, inspicere concedatur. Non opus est, prolixius hoc urgere, quia locus hic non semel hæctenus occurrit, atque mens ejus satis explicata videtur in antecedentibus; undè non difficulter adeò poterit cognosci, adverbialiter, an adjectivè debeat intelligi, ac num justam habuerit causam *Chemnitius*, lector Patrum non superficialius, sed judiciosissimus, lectionem *adverbialem* præ adjectivâ eligendi, & lectores *adjectivos* alicujus depravationis arguendi. Quidquid autem sit, dum iis destituimur nunc Subsidiis, quæ ad rem hanc conficiendam juxta methodum hæctenus receptam videntur necessaria, quia Bellarminus ipsemet victoriæ momentum in eo non ponit, sive *adverbialiter*, sive legatur adjectivè, utut *Chemnitii* lectio, undecunquæ eam hauserit, suâ gaudeat probabilitate, atque ad Institutum præsens non parum inserviat: posito igitur, lectionem *adjectivam* esse omninò admittendam, neque sic tamen obtinebit Bellarminus contra Evangelicos, quod omnibus intendit viribus. Sit enim *proprie* voluntatis humanæ, Vocationi Divinæ *vel consentire, vel dissentire*, opponatur certo quodam sensu, vel potius supponatur aut subordinetur *Voluntas humana ejusque consensus Divinæ vocationi*, ut nimirum hæc præcedat, illa verò sequatur, scripserit etiam Augustinus, *voluntatem credendi ex libero esse arbitrio*, ac habere hominem in potestate, *ut consentiat, vel*

Phil. 27.

Rom. 8.

Phil. 2.

vel dissentiat, quæ omnia hic Bellarminus contra *Chenitium* censuit observanda; omnibus tamen consequentis, quæ exinde in præjudicium Gratiæ deducuntur, ipse præventum voluit Augustinus ibidem verbis, quæ sæpius in hoc occurrerunt hæc tunc argumentum: *Profecto & ipsum velle credere DEUS operatur in homine*, (velle, inquam, quod notare debuit Bellarminus accuratè,) & *in omnibus Misericordia Ejus prævenit nos*. In omnibus, scripsit Augustinus, quod satis ad rem esse potuit. Atqui, si in omnibus, ergò etiam in ipso velle. Et si ipsum velle operatur DEUS, videat, cuiuscumque lubitum erit agere partes Bellarmini, an propriè loquendo propria hominis voluntas possit dici, quæ consentit Vocationi Divinæ, sicutè contrariò propriæ post Latipsum Voluntati adscribitur, eidem non consentire. Neque necessum est, ut Evangelici eò confugiant ac dicant, Augustinum hanc retractasse Sententiam, quæ nullo modo indigebat retractatione. Hoc verò meretur observationem, oblatà hâc occasione non prætermittendam, quod, ubi Augustinus in Opere de *Prædestinatione Sanctorum* aliam quandam retractavit Sententiam à se antehac defensam ante, quam Pelagiana exoriretur controversia, simul etiam retractaverit vel potius repudiavit Sententiam, quam Bellarminus & ante eum alii, contra quos scripserat *Chenitius*, in libro de Spiritu & Literâ Doctore Sancto adinixerunt. Verba, quibus ipse suum describit errorem, cui antehac addictus fuerat, hæc sunt: *Vi predicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar*. Quid autem hoc aliud est, quam statuere, *Vocationi Divinæ vel consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis esse?* Quocumque veritas verba, eundem semper dabunt sensum, mutuumque inter se consensum, nisi limitatio à id ea ab ipso met Augustino probè attendatur. Proditque Bellarminus non obscure latentem in pennâ & Mente suâ Pelagianismum, dum hæc Augustinum scribere putat contra eos, qui hunc consensum Voluntati humanæ adscriperint *ex solis nature viribus sine ulla præveniente Gratia*, cometsiplo indicans, largiri se Voluntati humanæ in consentiendo Vocationi aliquas naturæ vires, quæ aliqua præveniente Gratia indigeant, cum tamen Augustinus expressè ipsum velle scripsit operari DEUM in homine, non cooperari eum homine aut concurrere saltem, nec in aliquibus tantum, sed in omnibus Misericordiam Ejus prævenire nos, quod ad Vindicias pro *Chenitii*, Examinatoris Tridentini Innocentia in Augustini mente explicandâ nunc quidem potest sufficere.

lib. I.
cap. 3.

Quartus jam succedit Tomus, exhibens Opus de *diversis Questionibus ad Simplicianum*, & simul ad verba à Bellarmino in causâ, quam defendit favorem producta responsum omni ex parte aptissimum. Illa sunt, quæ hæc tunc itidem non semel habuimus: *Vi velimus, & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*. At omisit Bellarminus addere, quæ presso pede ibi sequuntur, ac antecedentia egregiè illustrant, responsumque suppeditant promptissimum. Ita autem ibi Augustinus: *Quod autem voluerimus, solus præstat*. Quid apertius dici potuit? Solus, inquam, præstat, non nobiscum operatur, non aliquod exhibet auxilium, non concurrit, non juvat, sed, quod benè notandum, ac majoribus scribendum literis, *Solus præstat*. Ubertius id exequitur in sequentibus, ubi, dum iteratò provocavit ad Apostolicum illud, *DEUS est, qui operatur in nobis & Velle & operari pro bonâ voluntate*, statim subjungit ex Apostoli Sententia, *etiam ipsam bonam Voluntatem in nobis operante DEO fieri*. Non dixit, malam voluntatem, sed bonam, ut utriusque differentiam ostenderet ac indifferenciam tolleret in hoc negotio. Non dixit etiam, cum vel ex nobis, sed in nobis, ut omnem Voluntatis propriæ concursum ab actu credendi excluderet. Neque addidit, cooperante, sed operante DEO, ut sic quoque Eidem Sôli ac Ejus Gratiæ in solidum omne id adscribatur, quidquid boni in nobis, qui naturâ per lapsum corruptâ non nisi à nobis mali sumus, perficitur. Adhuc clarius ibidem hoc explicat, dum paucis quibusdam interpositis porro scribit: *Si queramus, utrum DEI donum sit Voluntatis bona, mirum, si negare quisquam audeat*. Atqui facis apertè videntur hoc negare, qui non sine insigni depravatione mentis Augustinianæ audent defendere, *propriæ Voluntatis esse, Vocationi Divinæ consentire aut dissentire*. Plura nunc addere superiedeo, utut Augustinus ibidem ad ubertius hæc illustrandum non parcam ex divite penu præbeat legetem, quia super adhuc sunt alia ex Eodem vindicanda, & quidem juxta ordinem ex Opere de *Civitate DEI*, quod Tomus Operum quintus continet, circa

Phil. 2.

circa quod notandum, quod Verba, quæ Bellarminus exindè depromit, opposita sint non Pelagianis, qui Orthodoxam fatigârunt Ecclesiam, sed Stoicis, fatalem aliquam necessitatem cum exclusione Providentiæ Divinæ profitentibus, ac ejus jugum humanæ Voluntati imponentibus. Contra quos dum pro libertate ejus pugnavit, planè non in mente vel pennâ habuit præsentem de statu post lapsum Adami contröversiam, utpotè Philosophis è Lumine naturali incognitam. Et tamen in hæc etiam disputatione aliquid inseruit, quod ad Orthodoxæ pertinet Sententiæ confirmationem, scribens, *DEO adjuvante nos esse liberos, vel futuros*, voce adjuvandi usurpatâ in significatu generaliori, libertate insuper ad bonum intellectâ, addito etiam ejus discrimine quoad statum hujus Vitæ præsentis & futuræ; quæ omnia nostris conducunt utibus. Quæ ex sexto proferuntur Tomo, quia eam CHRISTI verborum continent explicationem, de quâ ad Quæstionem proximè antecedentem fuit prolixius actum, ulteriorem nunc operam non requirunt.

Ad septimum igitur nos conferimus, in quo varia Bellarmino apta sunt visa ad propositum, ineptissimè tamen & impertinenter applicata. In Opere de peccatorum meritis & remissione voce adjuvandi utitur iterum Augustinus, & quidem in descriptione ipsius Conversionis, sed ita, ut clarè doceat, quo sensu eam voluerit intellectam, adducto Simili non adeò dissimili: *Sicut corporis oculus non adjuvatur à Luce, ut ab eadem luce clausus averfusque discedat; ut autem videat, adjuvatur ab eâ, neque hoc omnino.* (Notetur hoc adverbium) *nisi adjuverit illa, potest.* Ita DEUS, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum Ejus Iustitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo averrimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo DEUS adjuvat, averfos deserit; sed etiam, ut convertamur, Ipse adjuvat, quod certè oculis corporis Lux illa non præstat. Duo hic notanda sunt, unum, quod voce adjuvandi Augustinus hic utatur sensu duplici, primò quidem specialiori de auxilio post Conversionem, deindè generaliori ante vel ad Conversionem atque in ipsa etiam Conversione, & postremò quidem hoc sensu non nolet aliquem concurrere, cum nostrâ voluntate & residuâ ejus post lapsum libertate, sed omnimodam operationem cum exclusione omnis humanæ cooperationis, quod ex antedictis manifestum est satis. Alterum est cum priori intimè conjunctum, quod, dum comparatione cum luce externâ illustrare studuit internam hominis jam conversi & Fidei oculo præditi à Luce Gratia Divinæ illuminationem, notanter observans, quod oculus hominis omnino videre non possit, nisi adjuverit illa, hæc additâ dissimilitudinis significatione, *id Lucem oculo corporis non præstare, quod Gratia DEI in ipsâ hominis conversione operatur;* comæpilo voluerit indicare Doctor Sanctus, si omnino, quod adverbium adhuc semel moneo diligenter notandum, Lux externa hominis oculo est necessaria, sine quâ homo jam conversus nihil omnino boni potest agere, multò magis hanc operationem internam esse necessariam ante Conversionem, homine adhuc cæco & planè in peccatis mortuo, ac nullâ omnino ratione, nisi passivè tantum, ad Vitæ spirituales restitutionem atque oculorum prestissimè clavorum concurrente. Cætera ibidem verba, quibus infertur *ad bene vivendum nostræ etiam Voluntatis efficacia,* respiciunt hominem jam conversum, de quo non disputamus. Ita dum in eodem Opere commendat Augustinus *Gratiam excitantem & adjuvantem,* ipsâ oppositione ostendit, quo eam sentia intellexerit. Verba pleniore textu, quæ Bellarminus pro more exhibuit truncata, sic habent: *Quod à DEO nos avertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala; quod verò ad DEVM nos convertimus, nisi Ipso excitante ac adjuvante non possumus, & hæc est voluntas bona. Quid habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus?* Addantur loca superius sæpe citata, quibus Voluntatem bonam dixit esse DEI donum, & de mente Augustini nobis Evangelicis consentiente nullus super amplius erit scrupulus. Locus ex Opere de *Naturâ & Gratia* agit non de hominis Conversione, sed Justificatione, quos actus non confundi debere, è Libro Concordiæ posthac monebitur; de Justifi-

Bbbbb

catio-

catione autem, non per quam homo peccator fiducialiter intuitu CHRISTI Mediatoris coram DEO fit justus sine ullo antecedente Merito, sed de ejus in cursu Renovationis continuatione, ubi hominem gratis DEO solum operante justificatum & DEI Gratia præventum illo ulterius operante & Gratia GRATIAM superaddente cooperari per vires cœlitus collatas, agnoscere & docere Evangelicos, sæpè hætenus fuit inculcatum. Testimonium ex Opere de *Prædestinatione Sanctorum*, in quo Bellarminus singularem collocat fiduciam, seipsum sufficienter explicat, dum id, quod dicit *serum*, propter voluntatis arbitrium, expressè *datum* significat per Spiritum Fidei & Charitatis. Ergò, si datum, non alio nomine nostrum dici debet, quàm quo alia etiam dicuntur nostra, quæ tamen non à nobismetipsis, sed à sola DEI largitoris Benignissimi manu habemus & possidemus. Atqui hoc ipsum duce Augustino docent Evangelici, nec aliud. Hæc etiam est doctrina, quam Idem ibidem proficitur verbis quàm maxime conspicuis, quæ alteri præmisit testimonio, quo Bellarminus contra nos est usus, scribens: *Quisquis audeo dicere, habeo Fidem ex meipso, non ergo accipi, profecto contradicit apertissima Veritati.* Et interfertis, quibus scopum obtinere laboravit Bellarminus, subjungens: *Ad ipsam quoque Fidem, quæ est in Voluntate, pertinet, Quid habes, quod non accepisti?* Quod autem credere vel non credere dicit esse in arbitrio Voluntatis humanæ, ut supra dixit vel dixisse censetur, *Vocationi consentire vel dissentire, propria voluntatis esse*; non semel hætenus explicavit, scilicet, quod dissentire & non credere sit à voluntate malâ, credere autem & consentire à voluntate bonâ, quæ tamen bonitas non nisi sit à Gratia DEI præveniente, quod iteratò notasse est Bellarminum refutasse. Quæ ex libro de *Gratia & libero arbitrio* profert porro Bellarminus, continent duplex Monitum DEI, unum per Psalterium Regium, alterum per Ezechielem Prophetam, ad non infideles & primum convertendos, sed ad homines per Penitentiam renovandos, qui hic quidem non veniunt in considerationem, adeoque à Bellarmino potuerunt, imò debuerunt prætermitti. Locus ex libro de *Gratia Christi* in proximè sequentibus responsum post se trahit, quod à Bellarmino datâ omissione operâ hic addendum venit, cum iis antecedentibus, quæ ad integrum pertinent sententiam: *Arbitrium potest esse solum, si non venit, homo scilicet, vocatus à DEO; non autem potest esse, nisi adjutum, si venit.* Hucusque Bellarminus citavit, verum subjungit notanter Augustinus, *& sic adjutum, ut non solum, quid faciendum sciat, sed quod fieri, etiam faciat, &c. per hoc, quando docet DEUS, non per Legis literam, sed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo adpetat, agendoque perficiat; & isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur.* Mentem Evangelicorum apertius non potuit explicare Augustinus, simul satis clarè significans, quo sensu *juvandi* verbo hic & in locis similibus utatur, de quo ante etiam est actum. Tandem ex Opere contra duas Pelagianorum Epistolas *septimus* hic Tomus cogitur ferre suppetias, at nullo cum præjudicio, sed singulari iterum emolumento Veritatis Evangelicæ. Et quia duplex inde adduxit testimonium Bellarminus, duplici etiam responso explorat Augustini textu confirmabitur. Prius respicit verba Salomonis è Libro Proverbiorum, quæ ibidem & antecedunt & sequuntur, *Homini est præparare cor, & à Domino est Responsio Lingue.* Hoc dictum quamvis huc pertineat minime, utpotè non agens de Conversione vel Justificatione aut aliis etiam actionibus ad spirituales hominis vitam pertinentibus, uti post *Jansenium Gandavensem*, contra *Costerum* hoc testimonio abutentem, agnovit *Menchius* ingenuè; dum verò Pelagiani id tanquam libero hominis arbitrio plurimum conducens objecerant, Augustinus ad hominem quali disputando, et si contra id tanquam Instituto præsentis minus idoneum potuisset excipere, maluit retorquere, respondens ex eodem: *Homo præparat cor, in responsione autem Lingue, id est, in eo, quod preparato cordi Lingua Divina respondit, nihil operis habet homo, sed totum est à DOMINO DEO.* Notetur benè, *totum*, non pars aliqua. Posteriùs exhibet verborum Regii Psalteris explicationem, quibus populum quondam suum *DEUS* ita fuit adlocutus: *Aperi os, & adimplebo illud.* Utrum autem hoc quoque scopum non feriat, placuit tamen Augustino, illud etiam in adversarii Gratiam non omnino repudiare, sed ostendere, quod neque hoc ad illam arbitrii libertatem sufficiat, quam Pelagiani defensum iverant, & quorum vestigia Bellarminus cum suis non obscurè premit. Verba quidem, quibus hoc Dicitur Au.

c. 16.

Psal. 81.

Augustinus cum præcedente conjunxit, favere videbantur Bellarmino; sed aliter stauit, sequentia respiciens. Ita autem ibi Pater Sanctus: *Quid est preparare cor & os aperire, nisi voluntatem parare?* Fatendum est, satis speciosa hæc videri, atque id exprimere, quod Pelagiani poterant in suos usus convertere. Verum si perrexisset Bellarminus legendo, invenire potuisset, quæ ad rem pertinebant, & quorum respectu ab objectione hæc abstinere debuisset. Sequitur enim, *Et tamen in eisdem literis legitur, Preparatur voluntas à Domino.* Et, *labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Ecce, *Dominus admonet, ut preparemus voluntatem, in eo, quod legimus, Homini est preparare cor; & tamen, ut hoc faciat homo, adjuvat DEUS, quia preparatur voluntas à Domino, & aperit os, ita jubendo, ut nemo possit, nisi ipse id faciat adjuvando, cui dicitur, Labia mea aperies.* Ego Bellarmini hic verbis utor, Quid manifestius desiderent Pelagianorum soboles, omnino non video, nec forte etiam ipsimet aduersarii.

Atque sic testimonia è septimo Augustini Tomo sunt expedita, è quo tanquam Armamentario pluvula mutuo sumit Bellarminus contra Evangelicorum Sententiam, suo caloco relicturus, aut ex debito restitutus, si vel vim eorum sibi contrariam animadvertisset, vel aperto Marte pugnam suscepisset, testimoniis plerisque non ita truncatis, ut eò facilius ipsam Augustini mentem Evangelicis propitiam occurreret, suosque errores è Pelagianorum Scholâ profectos incauto Lectori promptius instillaret. Nunc sequuntur tres Tomi posteriores, Homiletici, à quibus itidem subsidia quaesivit Bellarminus, sed ea etiam prioribus non dissimilia, id est, Evangelicorum Sententiæ minimè opposita, sed eam potius magis magisque confirmantia. Verba quidem, quæ ex octavo adduxit Tomo, ibi non leguntur, ubi exare significavit Bellarminus, ut ad eò in citatione per incuriam Typographi videatur aliquis error hic esse; sed & si hic vel alibi legantur, concedaturque Augustinum scripsisse, *Est in potestate tua, ut credas in Christum*, nihil oberit Evangelicorum causæ, cum supra jam Ejus Mens fuerit percepta, videlicet, potestatem hanc esse datam à DEO, non ex liberi arbitrii viribus ortam. Quæ autem ex Nono protulit Tomo, ac ex Commentario in Johannem, dum Bellarminus iterum mutilatè ea exhibuit, magis integra Lectori sunt sistenda, ut quid Augustinus hic etiam senserit, fiat inde manifestum. Nimirum proposuit sibi Doctor Sanctus explicare Verba Christi, *Qui credit in me, opera, quæ Ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet* &c. Agnovit in his non paucam difficultatem, & tamen non desperavit, quin ad legitimum eorum sensum possit perveniri. Inter alia Joh. 14. monuit ea sic intelligenda, non quò major esset Magistro discipulus, vel Domino servus, vel adoptatus unigenitus, vel homo (etiam) DEO; sed quod per illos (Nota iterum bene, Lector, per illos) ipse dignaretur eadem majora facere, qui dicit illis alio loco, *Sine me nihil potestis facere.* Et post aliqua hanc verborum subjungit paraphrasin: *Non vobis impossibile hoc videatur, non enim poterit esse major me, qui credit in me, sed Ego sum facturus, & tunc majora quam nunc; majora per eum, qui credit in me, quam præter eum per me. Ego tamen ipse præter eum, Ego ipse per eum. Sed quando præter eum, non faciet ipse; quando autem per eum, quamvis non per semetipsum, faciet (tamen) & ipse.* Iterum post quædam hanc format Quæstionem, *Numquid inter credentes in Christum non erit computandus, qui non fecerit opera majora, quam Christus? Durum est, absurdum est, ferri non potest, non toleratur, nisi intelligatur.* Apostolum igitur audiamus. Hic sequuntur verba, quæ Bellarminus sua fecit, quibus proximè subjungit: *Audi jam ergo & intellige, Qui credit in me, opera, quæ Ego facio, & ipse faciet.* Prius *Ego facio, deinde & ipse faciet, quia facio, ut faciat.* Poteratne clarius mentem suam, imò Evangelicorum, exposuisse Augustinus. Sed dissimulanda fuit Bellarmino per omissionem verborum ad rem quam maximè pertinentium. Verum pergit uberius hoc prosequi Pater augustus, ad intimiora, quæ in his Christi verbis latere videbantur, penetrans: *Quæ opera, inquit potest, nisi ut ex impio fiat justus? Et majora horum faciet, quorum obsecro? Numquidnam omnium Christi operum majora facit, qui cum timore & tremore suam ipsius Salutem operatur? Quod utique in illo, sed non sine illo CHRISTVS operatur. Prorsus majus hoc esse dixerim, quam est Cælum & terra, & quæcunque ceantur in Cælo & in terra; & Cælum enim & terra transibit, prædestinatorum autem, id est, eorum, quos præscit, Salus & Iustificatio permanebit.* In illis tantum opera

DEI, in his autem est etiam Imago DEI. Sed in Cælis Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli sunt Opera Christi. Numquid etiam his operibus majora facit, qui operanti in se Christo cooperatur Salutem æternam ac Justificationem suam? Verba hæc Augustini interrogatoria Bellarminus in sensu absoluto proposuit, ab antecedentibus abscissa, dissimulato etiam responso, quod sequitur proximè: *Non hic audeo præcipitare Sententiam, scribit Sanctus Doctor: intelligat, qui potest, indicet, qui potest, utrum major sit justos creare, quam impios justificare?* Paucis tandem interjectis ita finit hanc Verborum CHRISTI explicationem: *Sed omnia Christi opera intelligere, ubi ait, Majora horum faciet, nulla nos cogit necessitas: horum enim forsitan, dixit, que in illa faciebat horum, tunc enim Verba Fidei faciebat, & de his operibus fuerat prolucutus, dicens, Verba, que Ego loquor vobis, à meipso non loquor, Pater autem in me manens, Ipse facit Opera.* Ego his addo nihil, contentus hæc catenatim exscripsisse, partim ut Mens augustissimi Doctoris evolvetur, partim ut fraus Bellarmini pateat, qui eam, adducendo verba particularim, nequiter involvit & pervertere simul conatus est. Manifestum certe est, hæc Augustini verba aded ad præsentem Controversiæ statum non pertinere, neque id velle, quod indè Bellarminus vi quâdam extorquere est conatus, ut potius omni modo errorem Bellarmini Pelagianum, contra quem hic etiam Augustinus homileticè pugnavit, evertant, ac Sententiam Evangelicorum non unâ ratione confirmant, sapius inculcando, credentes etiam, non credituros demum, aded que per Fidem justificados jam, sine Christo in via Christianismi & Exercitiis ad ejus ostensionem, non ostentationem directis nihil boni posse facere, quod idem sentiunt Evangelici, ac indè quasi à majori ad minus argumentantur: si credentes nihil possunt, multò minus aliquid posse non credentes, omnibus post lapsum vitibus destituti, inque peccatis mortui, ita ut quemadmodum mortuus nihil confert ad sui resuscitationem, ac tantum passivè se habet, usque dum recipit vitam, sic homo etiam ad conversionem sui nullâ omninò ratione cooperatur, præterquam quod vires ad repugnandum sentit, victas tamen à præveniente Gratia, quod hætenus inculcarum sapius. Superest nunc Tomus decimus, è quo Bellarminus ultimum contra Evangelicos fecit impetum, verum & hunc facili ratione sustinendum & superandum. Provocavit ad Opus *Sermonum de Verbis Apostoli*, in quorum uno dixit Pater augustissimus, *Conversionem hominis non esse sine DEI adjutorio.* Dicitur est autem antehæc, quo sensu hic & ibi Doctor Sanctus utatur hoc vocabulo, ne sibi aut Veritati à se defensæ videatur contrarius, quod hic etiam venit observandum. Accedit, quod hoc etiam in loco satis clarè exprimat, quo significatu velit intellectam adjutorii vocem, ne Lector incautus forsitan impingat. Adduxit nimirum in proximè antecedentibus Verba Pauli è principio capitis decimi Epistolæ ad Romanos, quibus singularem erga Judæos populares adfectum est testatus. Explicavit mentem Apostoli hæc paraphrasi: *Deprecatur pro non credentibus, ut credant; pro averfis, ut convertantur.* Hinc sequuntur ea, quæ Bellarminus sibi putavit inservire. Sed obtinisset aliquid, si scripsisset Augustinus ex mente Pauli, deprecatur pro averfis, ut convertant se ad DEUM. Verum quia scripsit passivè, *ut convertantur*, quale intellexerit adjutorium, peritus Lector facile judicabit; tale nimirum, quale homini mortuo est necessarium, ut Vitæ restituatur, ad cujus impetrationem ille nihil omninò potest conferre. Ita ubi post aliqua auditores suos per communicationem Rhetoricam adloquitur & hortatur ad quotidianum Justitiæ inchoatæ augmentum, *ut simus non quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus*, per se patet, ad præsentem Controversiæ statum hoc minus esse idoneum; ut dum præpoluit, *Totum ex DEO esse*, quod etiam Bellarminus dissimulare non potuit, sufficienter docuit, quid de ipsâ hominis Conversione & Justificatione sit statuendum. Quod itidem in sequentibus scripsit, *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te*, idem est, ac si scripsisset, *Qui vitam tibi dedit sine te, eam tibi non restituit sine te.* Quale autem indè adjutorium demonstrabitur, ut homo in futurâ Resurrectione ad sui vivificationem ex vitibus propriis concurrere dicatur & cooperari?

Et hætenus occupati fuimus circa Apparatum Bellarmini, quem ex omnibus Augustini Tomis collegit, ad Auxilium & adjutorium Gratiæ cum hominis concursu in eisdem Conversione ex residuis liberi arbitrii vitibus confirmandum. Nunc ea sequuntur, quibus

quibus partim Dicta è Codice Sacro, partim testimonia ex Augustino huic comparationi humanæ opposita conatus est eludere, sed conatu hic etiam frustraneo. Et quidem è Dictis Bibliis duo sunt, quorum vim ex Augustini autoritate studuit infringere, quorum prius ex Ezechiele de corde hominis lapideo & carneo è duplici testimonio Augustini explicavit de vi quædam media ac libertatis ad utrumque extremorum indifferentia, sed contra mentem Prophetæ, quin imò ipsius DEI per Prophetam loquentis, De vi mediâ & naturali ex libro de Spiritu & Literâ actum est sub finem antecedentis Controversiæ, nec opus est otiosâ repetitione. De Voluntatis ad utrumque extremorum indifferentia Bellarminus ex Opere de peccatorum meritis & remissione tale protulit testimonium, quod omni ex parte mutilum, integritati suæ restitutum exhibet responsum, quod uti prævidere potuit Bellarminus, ita Lectori negotium facere non debuit supervacaneum. Integer Textus verborum, utut aliquantò prolixior, sic habet: *Nisi obtineamus, non solum Voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum spectatur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & malè uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis est bonis; quorum usus esse non potest malus, nisi ex DEO nobis esse non posse, nescio, quemadmodum defendamus, quod dictum est, Quid habes, quod non accepisti? Nam si nobis libera quedam voluntas ex DEO est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala, bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quàm quod ab Illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fateantur, etiam voluntatem bonam nos Divinius adipsi, quanguam voluntas, mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona vel mala sit. Aut enim Iustitiam diligimus, & bona est, & si magis diligimus, magis bona; si minus, minus est bona, aut si omninò non diligimus, non est bona. Quis verò dubitet dicere, Voluntatem nullo modo Iustitiam diligentem, non modò malam esse, sed pessimam etiam? Si ergò voluntas aut bona est aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam habeamus ex DEO, alioquin nescio, cum ab eo justificamur, quo alio Mânere Ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum arbitror, paratur voluntas à Domino. Hæc ibi prolixè Augustinus, quæ sufficiens responsum suppeditant, ut dixi, ut prolixior deductio contra Bellarminum hic minus sit necessaria, qui insuper vi Veritatis adactus non potuit non etiam Sententiæ Evangelicorum, quæ, uti ostensum, Augustini quoque est, suum addere calculum, scribendo, cor hominis lapideum, per Peccatum tale factum, ex se non habere potestatem, quâ se convertat ad DEUM, & fiat carneum, sed eam recipere per Gratiam Dei prævenientem, quamvis non prætermiserit virus Pelagianum de Gratia excitante, vires videlicet non novas, sed sopitas & igniculos quasi sub cinere latitantes, & cooperatione hominis ad sui Conversionem, quæ tamen in Sensu activo nulla est, immiscere, ne fons Veritatis fluat purus, temperque aliquid heterogenei adhareat. Posterius Dictum illud Psaltes Regii nobis commendat, quo gratâ Mente erga DEUM Benefactorem Summum agnovit, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Respondet Bellarminus, Augustinum hoc exponere de primâ Creatione. Vellem & hic accuratius Augustini verba attendisset, quæ in Explicatione hæc sunt: Totum bonum, quod habemus, ab Artifice nostro habemus. Quod in nobis fecimus, inde damnemur; quod in nobis Ille fecit, inde coronabimur. An hæc ad Creationem primam referet Bellarminus? Quin Augustinus alibi, ubi horum Regii Psaltes verborum fecit mentionem, apertè scripsit: Hoc non ad eam naturam, quâ homines sumus, cuius nature idem ipse creator est, qui Cæli & terræ, Siderum, omniumque animantium; sed ad illud potius est referendum, quod Apostolus ait, Ipsius figmentum sumus, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparavit DEUS, ut in illis ambulemus. Imò, ipse etiam Bellarminus agnovit, urgente eodem Apostoli Oraculo, posse hoc dici de Iustificatione, utur hic quoque sermentum aliquod de habitu Charitatis infuso ac dispositione ad Iustificationem interuerit, supra jam ex parte exterminatam, & infra ulterius exterminandum, hic eo tantum observato, quod impertinenter admodum Bellarminus adduxerit verba Dei apud Ezechielem de homine Pœnitentiam agente, & animam suam vivificante, quæ tamen post Cornelium à La-cap. 18. pide laudatus paulò ante Menochius ex Interpretatione Græcâ de Vitæ custodia & conservatione est interpretatus.*

Cætera quæ nunc restant expedienda, eò sunt faciliora, quò manifestius Evangelicæ Veritati præbent testimonium, ut, quidquid conatus sit Bellarminus, non tamen potuerit fontem hunc augustissimum purè fluentem ullo turbare modo. Glossa cer-

tè, quâ primum ex Opere de Peccatorum meritis & remissione locum studuit corrumpere, quali Augustinus ibi loquatur adversus eos, qui docebant, hominem habere ex se ipsam aliquam voluntatem, id est, initium Fidei aut dilectionis DEI sine ulla prævenienti Gratia, ostendit, Bellarminum securè hoc responsum ex semetipso excogitasse, in ipsomet loco non consulto aut inspecto, utpotè in quo alios planè describit, contra quos ibidem Ipsi fuerat pugnandum. Id sequentia docent verba: *Illud Apostoli, videlicet, Quid habes, quod non accepisti? sic defendere quidam voluerunt, ut dicerent, idèd, quidquid etiam bonæ Voluntatis habet homo, DEO tribuendum esse, quia & hoc in illo esse non possit, si homo ipse non esset; cum verò, ut sit aliquid, atque ut homo sit, non habeat nisi à DEO, cur non auctori DEO tribuatur etiam, quidquid in illo est bonæ voluntatis, quod non esset, nisi esset, in quo esset? Sed hoc modo etiam illud dici potest, malam quoque Voluntatem DEO auctori tribuendam esse, quia nec ipsa esse possit in homine, nisi homo esset, in quo esset, ut autem homo sit, DEUS auctor est; ita & ejus malæ voluntatis, quæ nisi hominem haberet, in quo esset, esse omnino non possit, ad auctorem DEUM esse referendum, quod nefas est dicere.* Adtendat hoc Lector, & frivolum adparebit, quod Bellarminus apertissimæ Veritati è cerebri sui figmento voluit oppositum, secundum ex libro de Gratia Christi testimonium etsi satis perspicuum, solo tamen adjuvandi vocabulo adjuncto ad suas trahere partes fatigit Bellarminus, quod tamen quo sensu hic & alibi ad Augustini mentem pluribus locis explicatam debeat intelligi, ad nauseam ferè hætenus iteratis vicibus est monitum, neque nunc cum tædio repetendum. Tertium ex libro de Bono Perseverantiæ testimonium, quod longe illustrius quidem in loco legitur, quam à Bellarmino exhibetur, potiore ejus parte prætermisâ, ita tamen vidit clarum Bellarminus, ut nihil invenerit, quod contra illud excipere posset, ut Sententiæ suæ, quam, uti ex hætenus disputatis manifestum est, occultare studuit, directissimè oppositum, quatenus videlicet Pelagianorum partibus noluit videri addictus, non tamen nihil planè ex iisdem sibi post Scholasticos reservans, quod suprâ etiam fuit observatum. Ultimum ex libro de Gratia & libero arbitrio testimonium, ubi Voluntatem DEUS in nobis sine nobis dicitur operari, atque adcedens parallelum ex *Enchiridio*, ubi totum DEO dari debere monetur, quod ad hominis Voluntatem bonam & preparandam & adjuvandam requiritur, pluribus quidem enervare admissus est Bellarminus, sed uti ipsemet fateri debuit, nihil adtulit novi, quod non in antecedentibus jam occurrit, adeoque suum quoque accepit responsum, præsertim quod adinet objectionem de Instrumento naturali, de quo Sententia Evangelicorum sub initium Responsionis ad hanc Quæstionem in formando Controversiæ statu contra Bellarminum fuit exposita. Nihil nunc amplius videtur requiri, quàm ut, quia Bellarminus non semel hætenus videri potuit in quibusdam non alienis omnino à Sententia Evangelicorum & Augustini, varia largitus, quæ Veritati sunt propiora, iteratò in Gratiam Lectoris ostendatur, pro formâ hæc tantum ab Eo dicta fuisse & scripta, ne Pelagianorum partes defendendas in se suscepisse videretur, Pelagianus de cætero in non paucis, quod si ulla ratione, eâ certè prodidit, quâ summam totius prolixissimæ Disputationis de hæc Controversia exhibiturus hæc primam esse voluit inter tredecim Sententiam, adhuc semel repetendam: *Homo ante omnem Gratiam liberum habet arbitrium, non solum ad opera naturalia & moralia, sed etiam ad Opera Pietatis & Supernaturalia.* Et quamvis ad hujus Sententiæ confirmationem Augustini iterum utatur autoritate, ostensum tamen jam est, quod eâ præter debitum sit abusus, Sancto Patri peregrinam adtingens mentem. Ego huic etiam Tractationi nunc impono finem, ubi ex nupero Vindice Augustiniano, Henrico de Noris, Doctore non ita pridem Patavino, nunc Pisano, paucis monuero, fuisse antehac in Ecclesiâ Romanensî Doctores, nominatim, Genebrardum, Pighium, Sixtum Senensem, qui Augustinum libero arbitrio minus æquum fuisse scripserunt publicè, quod quantum causæ Evangelicorum proffit in hoc negotio, nemo judicare peritus non videt.

cap. 4.
num. 4.
p. 156.

Utut prolixè satis fuerint hætenus exposita, quæ ad materiam de Arbitrii libertate videntur pertinere, ac sufficienter sit ostensum, in eâ quoque Augustinum Veritatis Evangelicæ testem esse, tamen non possum, quin ex abundantia addam pauca, quæ ad locum ex Opere de Spiritu & Literâ notavit Matthias Hauerius, Ordinis Pænitentiæ, in *Epitomes Augustiniane* Tomo posteriori, iis, quæ contra Bellarminum sunt observata, non planè nullum operæ pretium adlatura: Ut enim non repetam aut

aut urgeam porro, eum Augustinus scripsit, *Consentire vocationi, vel ab eâ dissentire, propria voluntatis est*, an legi debeat *proprie* in adjectivo, an *proprie* in adverbiali sensu, cujus varia lectionis ratio supra ad mentem Chemnitii fuit indicata; sit ita, legatur aut scriptum iudicetur ab Augustino, *propria Voluntatis*, Epitomator certè hic Augustinianus ita eam explicavit, ut facile admittere possint Evangelici, Excerptamus ea breviter, quæ huic Instituto inserviunt, & manifestum erit, Doctorem augustissimum ne sic quidem ab eorum recedere Sententia. Dicit igitur ex Augustini mente, *Consentire vel dissentire*, accipere & habere, esse nostrum etiam, seu nostræ voluntatis, non autem solius DEI, sicut illius (& quidem) solius est, vocare persuadere & dare; *consert enim ibi*, videlicet Augustinus, ea, quæ sunt solius DEI, cum iis, quæ sunt etiam nostra seu voluntatis nostræ. *Et quia distinguit* idem Pater Sanctus inter ipsum velle credere, quod Deus operatur in homine, & consentire aut dissentire vocationi, quasi hoc esset voluntatis nostræ, non illud, aut hoc potius, quàm illud; *respondet porro Anatomicus*, quod à suis Censoribus Elogio commendatur, illud velle credere, quod Deus operatur in homine ante consensum propriæ voluntatis, esse *tantum quendam credendi adfectum*, quem Augustinus inter ea etiam comprehendat, *quæ non sunt in potestate nostrâ, ut nobis veniant in mentem*. Præterea, quod quamvis actus intellectus & voluntatis ex Gratia elicitus sint etiam nostri, singulariter tamen & moraliter actus voluntatis dici & esse nostros, ex potestate seu libertate voluntatis nostræ in illos. *Insuper*, non tam ipsum consentire, quàm dissentire, nostrum esse; aut certè (vel) consentire, vel dissentire. *Tandem*, Consentire, recipere & habere, formaliter esse tantum nostra, causaliter autem esse etiam ipsius DEI, id est, Ista non sunt DEI, ut consentientis & in se recipientis, *sed ut facientis nos consentire & recipere*. Cætera, quæ ibi vel antecedunt, vel sequuntur, omitto, quia Scopum minus ferientia. Hæc autem possunt sufficere, ut ostendatur, et si Augustinus scripserit, *Consentire vel dissentire vocationi esse Voluntatis propriæ*, non tamen omnimodam Voluntatis humanæ indifferentiam ad utrumque, vel consentiendum, vel dissentiendum, ex mente hujus Franciscani, & hætenus quidem non malè, intellectam voluisse, sed illam simul inæqualitatem inter consensum & dissensum subintellexisse, ita, ut quamvis disensus, Divinæ vocationi oppositus, propriè sit Voluntatis humanæ, per lapsum videlicet & originariam inde labem insigniter corruptæ, quæ non potest non sibi relicta, ac sine Gratia DEI præveniente considerata dissentire, ac omnem peccati Medicinam respuere, instar febricitantis, cui omnia ad recuperandam Sanitatem remedia sunt ingrata; *Consensus tamen*, qui à Voluntate nostrâ elicitur, & hinc Voluntatis effectus esse putatur, non tam sit Voluntatis, videlicet extra & ante omnem Gratiæ motum, quàm ipsius DEI, qui & ipsum velle bonum ad Apostoli & exinde etiam Augustini Sententiam, adeoque non *tantum quendam credendi adfectum*, sed ipsum quoque credendi effectum, per suam in nobis operatur Gratiam, ut quidquid boni in nobis & à nobis est, ad primam meritò referri debeat causam,

Summumque illud Bonum, à quo solo & unico omnia verè
bona tanquam Fonte omnis boni suam ducunt
Originem.

